Ad R. P. Petrum Louaniensem Societ: Jesu.

Actus quos nuper Phoebo procul atq; Thalia
Ludere collibuit, iam tibi sisto pater.
Accipe, cumq; uacas, nugis impende legendis
Otiolum quamuis exiguum, sat erit.
Hirsutus, fateor, non fausto sidere natus,
Luminis hic fetus in loca dia uenit.
Sed dabis, haud dubito, ueniam, pater optime, primus
Ingenij partus cum sit iste mei.
Tempore cumq; breui conceptus et editus oras
Viserit aerias. post meliora dabo.
Siq; Thalia mihi, si dexter Apollo, chorusq;
Pimplei collis fauerit Aonidum.
Lazarus officiam stygijs resistat ab undis.
Caecus et ut uideat lumina Phoebe tua.
Tironem interea nostrum cape, PETRE, tuaq;
Lima perpolias iudicioq; probes.
Vt quod ab ingenio sperare nequiuit heili
Istud PETRE tuo debeat ingenio.
Viue ualeq; pater, si me uis uiuere sanum.
Actus hosce mei pignus amoris habe.

Prologi Germanici
Gr. tom: 3. Fol: 134.

Prologus.

Saluete spectatores ornatissimi
Saluete nobiles. saluete ignobiles.
Saluete docti, saluete indocti quoq;
Conducturi linguas vestras, aures et oculos,
Iussu choragi prodimus in proscenium
Hoc agimus, aures, ut iam auscultent, at oculos,
Ut expectent, linguas, ut taceant, nam fabulam
Novam, theatri expertem, statuimus hodie
Dare vobis, cui Timoni nomen fecimus
Cuius dum paucis argumentum edissero,
Facite patescant aures, animiq; vigilent.
Athenaeorum praestans quondam civitas
Opibus et artibus, aluit ditissimum
Civem, vocabulo Timonem, Echecratide
Colytteo cretum, cuius domus fores
Dies noctesq; patebant garronibus,
parasitis, helluonibus atq; subdolis
Amicis, laeta cum quibus convivia
Agitare solebat, et genialem vivere
Vitam, delicijs prorsus summis vacans
Donaq; magnifica laetitiae effectoribus
Quod genus auloedi, citharoedi, tibicines

parasiti

parasiti, palpones, pruritus aurium
Ministri, sonans, ac si gazae neutiquam
Exhauriri possent. sed quid fit? cum modum
Profusioni non statuerit prodigus,
Plutus abit. et mox qui ditissimus antea
Fuerat, incedit passim nunc pauperrimus.
Amici quem coluerat divitem, velut
Deum quendam terrestrem, hunc nosse pauperem
Se pernegant. parasitis risus et iocos
Dat, qui laetissimas coenas saepe dederat.
Cum Timon igitur esset inter malleum
Incudemque, nec quid ageret decernere
Posset, paupertas ingrato circumdata sacco
Adventat, victusque modum quaerendi docet;
Ligone, rastro, et securi traditis
Timoni, quo conductus vertat solum.
Agrorumque rubos sedulo rescinderet.
Obtemperat Timon, conductus agros colit,
Colendoque Jovis opplorationibus
Miserrimis perpetuo Regiam quatit.
Audit conviciantem potius quam preces
Fundentem Juppiter, et per Maiae filium
Accersit Plutum, quem quantocyus iubet
Poli delapsum vertice, facere divitem
Denuo Timona pristinasque reddere

Diuitias; Plutus obedit, quamuis non lubens,
Tonantis iussu, cumque deum mentio
Mox Atthidos peruenit ad cultissima
Loca, Timonemque reperit glebas grauiter
Vertentem, paupertate uallatum graui.
Quae simul ac uidit Plutum ad Timona ingredi
Indoluit, grauiter cum Mercurio expostulans,
Sed audito Jouis mandato destitit
Possessionemque cessit; ut porro deos
Aduenientes Timon uidit, prorsus effero
Repulit animo dirissima minitans eis.
Sed tandem mitigatus uerbis lenibus
Mercurij, lenitati dat sese quoque.
Thesaurumque sibi caeli missum ab arcibus
Effodit, effossumque super astra laudibus
Extollit, paupertati mittit nuntium.
Leges quas seruet condit illico sibi;
Misanthropus fit hominum consuetudinem
Cane peius et angue odit, uitat, fugit, lupis
Ferinam uiuit uitam, fucatos fugat
Et procul abs se repellit amicos, fustibus
Glebis et saxis et ligonibus rem agens.
Parasitos etiam subodoratos nummulos

Eodem

Eodem tractat pacto, aurumq sedulo
Et cura uigili custodit bruisu sibi.
Haec fabulae periochae, haec comprehensio
Synopsisq breuis quae sunt futura, omnium.
Abeo, ualete, ponsum persolui meum.

Actus primi, scena prima.

Timon.

Mortalium si quispiam est qui polleat
Opibus, et gazas possideat quam plurimas,
In his profiteor ego Timon nomen meum.
Benignus etenim Juppiter polyplusium
Me reddidit, nec hoc solum. scientiam
partis fruendi suppeditauit mihi quoq.
Non possideo duntaxat diuitias, uelut
Hodie permulti factitant, sed eas
Vt mihi sint, operam do, genium pasco meum,
Agito choreas, conuiuia quotidie
Et coenationes lautas apparo,
In multam poto noctem, nec domus meae
Cuiq claudo fores, cunctis patet aditus,
Amicos habeo, quot habet haec urbs incolas.
Omnes me obseruant, omnes me semp colunt,
Suauissimis confabulationibus
parasiti fessum reficiunt, quicqd uolunt

Id opus sit facto novit optime. modum
Cui statuere nobis fuerit ~~fors~~ turpe forsitan.
Accipe Gastrophile cum sodalibus aureos
Trecentos, si minor merces laboribus
Videtur vobis, plus paratus sum dare.
Vos quoque qui mimmos meruistis gratissimas
Faciundo delicias, accipite Cecropias
Flavas videlicet minas septendecim.
Sed iam nos intro conferamus, et diem
Qui restat transigamus velut occepimus.

Actus primi scena sexta.

Plutus, desidia. ocium
comites pluti.

Ne quis miretur qui sim paucis eloquar,
Plutus sum divitiarum munificus deus.
Huc prodeo Timonis pulsus aedibus.
Superas unde prius veni sedes demo
Cum comitibus repeto, et relinquo prodigum
Timonem qui me tam atrocibus iniurijs
Affecit, qui parasitis ganeonibus
Et helluonibus feci mortalium
Miseris lacerandum me exposuit, animo paterer

Vnus cum cælitum sim miserum homunculum
Inferre mihi tot plagas ac iniurias.
Non patiar, nō feram. nullo modo sinam
Stultissimis mortalibus ludibrio
Vt immortales sint. abibo ad ætherem.
Feci ditissimum Timonem, plurima
Auri talenta dedi. quid profeci tamen?
Aquas in pertusum congessi dolium
In ignem lanam traxi. uas fundo carens
Replere uoluj. pridie quidquid dedi,
Popinonibus hic distribuit postridie.
Dij perduint scelestos istos qui deum
Sic uilipendunt munera, sapiet scio
Timon. sed sapiet cum Phrygibus, et uulnere
Percussus insanabili. me noluit
Meosq comites, habeat nunc pauperiam
Durumq laborem. panem rodat mucidum
Qui temperatis uesci perdicibus
Non potuit. sed ne me miremini
Tam celerem, nosse uos uelim solummodo
Me claudicare quando uenio ad quempiam
Sed quando abeundum, tunc pernicior Notho
Euroq sum. quin celeritate celerior.

Tum non caecutio, bene novi abitus viam.
Reditus non itidem. paulo post scabat caput
Vnguesq rodet Timon, sed rodat, scabat,
~~Va~~ Inanem sumet operam, non me dehasset
Rodendo scabendoq celsis sedibus pos:

Scenae sextae actusq primi
finis. versus 465.

Actus secundi, scena prima.
Timon, Gnatonides, Gastrophilus
Gem~~enus~~ Parasiti.

Tim: O varias, ô mutabiles pluti vices.
ô spes fallaces, ô fortunam protheo
Incertiorem. Croesus qui nuper fui
Irus fortunae factus technis et dolis
Hunc prodeo, quiq talenta pelopis habui,
Opesq grandes cynarae, divitias Midae,
Pactoli arenas, codro sum pauperior, et
Cui fluebat Hebrus, Ganges, et Tagus,
Hic premitur nunc rerum omnium penuria.
ô varias, ô mutabiles pluti vices.

Qui uestimentis induebar sericis,
Nunc squalidis et sordidis conuestior.
Qui cenas apparare lautas sueueram
Amicis falsis nunc parum abest precario
Quin debeam conquirere unde uictitem.
Falerna qui bibebam nec non Graecia
Nunc latice puro, Naiados beneficio
Sitim depello. Heu rerum quanta nouatio.
Quanta immutatio! Timon, Timon, ~~prius~~ tuo
Si praecepisses animo quae iam conspicis
Facta esse, fieri posse, nunc moderatius
Fortunae tela ferres. nam uerbum uetus
Jacula praeuisa ferire minus, uerissimum est.
ô uarios, ô mutabiles ludi uices.
Heu Timon, Timon ut tibi dissimilis es!
Vix me agnosco cum memoria ~~[illegible]~~ redeo mea
Et ~~[illegible]~~ cogito, quis fuerim, cumque quis modo siem
Intueor. Gast: quis nam tot lamentis aethera
Non procul hinc pulsat? quis et ex imo pectore
Questus tam miseros fundit? Gem: Timon est. Grat: Dij
Boni, quam turpe monstrum! Gast: detestabile
Gem: Fugiendum. Grat: Execrandum. Gast: vide ut squalet situ!
Gem: Ut marcet facies! Grat: Laruam uero dixeris.

Gast: Vt pallent ora. Gem: statuam uos dixeris.
Grat: Phi deflectamus ab itinere, haud etenim reor
Esse auspicatum tam inuisum monstrum alloqui.
Tim: Vt uos si superi nolunt, perdant inferi,
Palpones improbissimi, nequissimi.
Fuci, uulturij, tineæ, prædones, lupi.
Ad coruos ite coruj, par gaudet pari.
Nunc me tanquam flagitium detestamini
Et tanquam pestem fugitis, cum quod largiar
Non suppetit amplius. Cum casu decidi
Ex alto culmine graui. Dij uos perduant.
Et in profundum ad Titanas uos tartarum
Detrudant, improbissimi mortalium.
Qui dum crumena nummis turget aureis,
Dum uarijs dapibus onerantur mensæ, merum
Dum promitur largo ex abundanti penu,
Adestis, obseruatis, assectaminj,
Cuiusliberque nutu pendetis homunculi
At simul ac placidæ ac facilis fortunæ ingruit
Vicissitudo, ceditis ocyus Notho.
Dij uos ~~scele~~ tresque scelesti perdant comprecor.

Actus sextj, scena secunda.

Paupertas, Labor.

Quia fraud: